ORATIO GRATVLATORIA

AD EXCELLENTISSIMVM

D. PETRVM NVÑEZ GVZMANVM,

COMITEM VILLÆ VMBROSÆ, ET CASTRI NOVI, MARCHIONEM QVINTANÆ, DOMINVM VILLARVM SANCTI THOMÆ, IN PORTV NOVO, NAVIANI, AC NVEZ: PRÆFECTVM CASTRI DE LENTAN, ET PRÆSIDEM CASTELLÆ MERITISSIMVM.

SCRIPTA

AB V. I. D. D. HIERONYMO BASILICO, SICVLO MESSANENSI, IVDICE REGIÆ CVRIÆ STRATICOTIALIS VRBIS MESSANÆ, ET IN SVPREMIS CASTELLÆ TRIBVNALIBVS, REGNIQVE SICILIÆ REGIO ADVOCATO.

MATRITI,

IN OFFICINA LVCÆ ANTONII DE BEDMAR, Anno M.DC.LXX.

EXCELLENTISSIMO DOMINO Aloysio Francisco Nuñez Guzmano, Marchioni Montis Allegri, Domino Villarum Meneses, & Villimer, Commendatario Ordinis Calatraue, Oeconomo Domus Regię, Indiarum, earumque Camerę, Bellicique congressus Consiliario.

S. P.

ORATIONEM hanc Gratulatoriam, quàm ex communis gaudij, lætitiæque significationibus, atque imperiosissima vi illustrium virtutum Excellentissimi Castellæ Præsidis, tuique Germani, compulsus, elaboraui, scripsi, & quibus potui, reuerentiæ magis, quàm eloquentię floribus conspersi, obsequentissimo animo tibi dedico, inscribo, consecro, Guzmanæ Gentis, & clarissimum decus, & nobilissimum ornamentum. Cui enim magis, quàm tibi debebatur illa laus, quæ, & si ab illo dimanat, in maiori parte tua est, atque ad te redundat. Sicut enim ius sanguinis indiscretum, & indissolubile est, ita, & eius gloria, ac splendor tacita vi ad suos diffunditur, & cum ijs participatur, ac communicatur. Accedit etiam, quod in hac laudatione tuas virtutes, tuasque dotes, ac prærogatiuas inspicies, miraberis, admiraberis: occurres tu tibi ipsi, depictus, ac descriptus in Germano: & verissimũ cognosces, quod si ex sanguine, & natura Germani nõ fuissetis, ex virtutibus fuissetis. Nàm illius studium ad inermem Sapientiam, tuus militaris, ac nobilis ardor, ad arma, tuus sudor illius placidum otium, tuus emicans gladius illius calamum, tuum bellicum sagum, vrbanam illius Togam ęquauit, atque exornauit: & quando ille Rempublicam, terrasque rexit, tu ad Mare moderandum, animum intendisti. Proinde, & Sicilię, & Neapolitani Regni, & Indiarum Classem, quàm *Galeonum* vocant, Summus Præfectus, tanta vigilantia, tanta prudentia, tanta fœlicitate rexisti; vt imperare ventis, frenare tempestates, totoque Mari leges præscribere videreris. Tuo

enim

enim sub Imperio, àc Præfecturis nullam, vel leuem calamitatem, iacturamque passę sunt. Ita, vt fastitas, & lætitia, quàm titulo exprimis, tecum nauigare viderentur. Illud verò mirari non desino, quod vestræ Dignitates, siue Togatę illę fuerint, siue Militares summis omium gaudijs, & gratulationibus exceptę sunt. Nàm, vt de ijs, quæ apud nos siculos contigerunt, & quæ nos oculati testes vidimus, loquar vbi in fatalibus illis nutantis siculæ Reipublicæ motibus, ab Excellentissimo Marchione de los Velez, Clarissimo Principe, & iam moriente, Siciliæ Prorex, in eius vicem constitutus fuisti; tanta in omnium animis lætitiæ vis orta est, vt Populi, torrentum instar ad tuam ędem accurrentes, Te omnium humeris elatum, faustis acclamationibus, vndiqueresonantibus, in Regium Palatium inuexerint, nec modo Regni habenas insflectendas, sed fortunarum, sed corporum, sed animorum absolutum Imperium concesserint. Et certè si illa tui regiminis administratio diuturnior fuisset, illa tempestas, quæ diu sæuijt, & quæ ad Neapolitanum Regnum, tanto impetu se diffudit, vel fracta, vel declinata, fœlicissimè resedisset, ac se serenasset. Quod si vbi insanientibus, atque oblatrantibus in Mari procellis, multo iam noctis, Tyndaridum fratrum lucida, & comantia sidera irradiant, lænitam, sædatamque tempestatem, vicinamque serenitatem sollicití nautę, sibi spondent, ac festiuo celeumate consalutant, quarè, & cunctis sperare non licebit, quod vbi Vos non minus sanguine, quàm amore, & dotibus coniunctissimi fratres, & non Guzmani solum, sed Hispanici Cœli beatissima sidera, tàm fausta luce irradiatis, turbidę procellę, sænæque tempestates, tranquillādę, ac fugandæ sint; & quod aurea, plenaque fœlicitatas reducenda, ac reuocanda est. Et si inter stellantes fratres diuisam immortalitatem credidit Antiquitas; in vobis non interruptam, non redemptam, non interpolatam ęternitatem nominis, sed fœlici gloriæ cursu continuatam, prouectam, perpetuatam, præsentes admirabuntur, posteri prædicabunt. Matriti, anno Orbis Christiani millesimo sexcētesimo septuagesimo, Februarij vigesimoquinto.

Excellentiæ tuæ
deditissimus.

D. Hieronymus Basilico.

ET Carolo Secundo, Hiſpaniarum non minus Regi, quam ſpei, & Hiſpanicæ Monarchiæ, & toti propè modum Chriſtianæ Reipublicæ, cuius potiſsima, & inſignior pars Hiſpania eſt, gratulari me hoc nomine oportet, Præſes Excell. quod in excelſæ, & poſt Regiam magnitudinem, Supremæ Dignitatis faſtigium, Caſtellæ Præſidis collocatus es, non modo Prudentiſsimæ Reginę, ſed Dei optimi maximi Conſilio, ac beneficio: qui ad Hiſpanias reſpiciens, & piorum deſideria excepit, & expetentium preces impleuit, & vt à præteritis malis reſpiraremus, & à minantibus, & circumfrementibus ſecuri, incolumeſque redderemur, Te ad hùnc ampliſsimum, & altiſsimum Dignitatis gradum, & communis aram ſalutis, ſapientiſsimè deſtinauit, inſtruxit, collocauit, euexit: vt fortaſſe hoc argumento intelligeremus, ſummo illi numini curæ potius, non eſſe vltionem noſtram, eſſe fœlicitatem.

Et licèt hæc tua electio diuite laudum materia abundet, illud tamen peculiare ſibi vendicat, quod vbi eius fama peruaſit, neſcio quos, non iam vulgaris, & mediocris, ſed eximiæ, & inſignis lætitiæ ſenſus in omnium animos, inſpirauit, infudit, impreſsit: plauſerunt Magnates, gauiſa eſt Nobilitas, lætatus eſt litteratorum ordo, omnis ętas, omnis gradus, omnis ſexus; & qui te nouerunt; & qui te non nouerunt inſolitam, iucundiſsimamque lætitiam perſenſere: ipſaque Hiſpania ſuis elata montibus, feſtiuiſque accenſis facibus ſuos Populos, & qui maritimas, & qui montanas incolunt oras ad gaudia convocaſſe, & excitaſſe viſa eſt: quaſi dilapſo è cœlo Palladio omnium ſalus in tua electione ſita fuerit.

Neque verò huius, quaſi extra ſe redundantis, communis lætitię ſignificationis ſcaturiens riuus ſine viuo fonte dimanat: cùm enim Caſtellę Præſidis dignitas: tàm ampla ſit, tàm clara, tàm ingens, hoc præſertim tēpore, quo Monarchię gubernatio inhæret, primumque ſuffragium in Gubernatorum conſeſſu, & quàm olim Regius ſanguis adminiſtrauit, & cum qua Hiſpaniarum ſalus adeò coniuncta eſſe videtur: vt qui in eam aſcendat in puppi ſedere, clauum moderari, totiuſque nauigationis curſum regere, & ſalvam Reipublicę Nauim in Portum collocare poſſe videatur; proinde diu omnes ſuſpenſos detinuit, in quem Heroem tanta ſeſe inclinaret, ac caderet fortuna: vbi verò Tu renuntiatus es, ingentibus gaudijs elati ſunt, & quod ad hùnc gradum, te euectum fuiſſe viderūt, ad quem omnes te euehen-

 dum

dum fuiſſe volebant, & quod optimum factum fuiſſe cognoſcerent, quod peſsimum ſi factum non fuiſſet diiudicaſſent: conſiderantes enim tuam animi magnitudinem, natalium ſplendorem, ingenij præſtantiam, ſcientiarum præſidia, & ornamenta, labore culta, ſtudijs aucta, rerum maximarum experientia comprobata, Conſtantiam, Iuſtitiam, Prudentiam, cæteraſque Animi, & corporis Dotes omnibus numeris abſolutas, in eam certiſsimam ſpem inducti ſunt, vt iſtis omnibus tàm inſignibus donis, & nomini tuo gloriam immortalem, & Hiſpanicis rebus ornamentum, & calamitoſis iſtis temporibus, non parum ſubſidij, atquè emolumenti ſis allaturus: & proinde omnium fuit ſenſus, quod ad hanc dignitatem multò ante non eras eligendus modo, ſed & cogendus invitus, & quod noſtris vulneribus, nondum cicatricibus obductis, nullę alię, quàm tuę medicę manus erant admouendę. Quis enim melius Hiſpanicæ Monarchiæ corpus eſſet moderaturus, eo qui ſingulas eius partes ſumma cum laude rexiſſet? Quomodo non erat omnium votis expetendus, qui in ſuis Magiſtratibus ad omnium commoda laborauerat? Quomodo ſummis non fuiſſet præmijs afficiendus, qui integerrimo vitæ curſu inſignium virtutum immortalia documenta præſtiterat?

Atque vtinam eius virtutibus mea par eſſe poſſet oratio, certè inter celebres Oratores meum nomen pervolitaret, ſicut inter ſummos Viros meritò ille eſt enumerandus. Accedit prætereà earum numerus, vt ſi eas recenſere velim, & vigor, & Vires me deficerent, & linguæ centum, oraque centum eſſent præoptanda. Faciam itaque, quod in magna copia ſolet, eligamque ex omnibus eius virtutibus vnam; eaque erit Inſignis, apertiſsimiſque ſpectata documentis Prudentia, quæ inter reliquas Animi Dotes Principem ſibi locum poſcit, contendamque, vt cognoſcat Orbis, quantum reliquę eius virtutes laudari poſſunt, ſi hæc vna integram orationem abſumit.

Et nequis exiſtimet me in feraciſsima encomiorum ſegete vulgare laudis argumentum elegiſſe, in memoriam reducat operæ pretium eſt, quod quam nos in hominibus Prudentiam appellamus in Deo Prouidentia eſt, quæ Diuinę Sapientiæ lateri aſsidens, & de Orbe iam condendo cogitanti: vaſtam hanc immenſi corporis molem Cœlum, maria, terraſque ambitu ſuo complectentem, muſicam hanc armoniam, cunctis ſuis partibus cohærentem, ac conſonantem, Diuinique Artificis gloriam decantantem, diſcreuit, diſpoſuit, efformauit, effinxit, ęterniſque vinculis, ac fœderibus colligauit, coniunxit, conciliauit, compegit. Hæc vagum hominum genus, & ſub quercu glandes eructantium in Ciuitates coegit, condidit leges, arma parauit, inſtruxit exercitus, iuſsitque, vt ſervirét alij alij imperarent: Hæc ęterna reddidit imperia, beata Regna, florentes Reſpublicas, hæc pro-

fanas

fanas res, hæc sacras, hæc priuatas, hæc publicas domi, forisque supra invidiam euexit, fortunauit, fœlicitauit; hic demum est ille spiritus, quo millia hominũ trhaũtur, & viuũt, aliàs futura onus, & cõfusio. Proinde à Deo optimo maximo hac donatos in Sacris Litteris legimus Principes illos Heroes, Sũmos Põtifices, Populorum ductores, Diuinæ Potẽtiæ vices præstãtes in terris, qua traditã Religionem promulgarent, & sancirent, inania simulacra, emẽtitumque cultũ extirparent, & delerẽt, inconditę, effrenatęque multitudinis animos flecterent impellerent, moderarentur, & à miserrima servitute abstractos per bipartita maria, per radiantes illustribus facibus noctes, diesque, per hostium ludibria, ac victorias, ad beatissimas, & per immensa itinerum spatia fugientes terras copijs omnibus, atque omnium rerum abundantia affluentes, sisterent, inducerent, collocarent. Proinde Isdraeliticorum Regum gloria Salomon in initio suæ dominationis post habitis quibuscumque alijs, & Animi, & corporis bonis, eam solam à Deo enixe petijt, sumoque beneficio impetrauit; ex quo, effectum est, vt diffusa per Orbem terrarum sui nominis celebritate qui è longinquis Regionibus ad eum visendum accederent, Maiestate perculsi, animo linquerentur. Meritissimo profecto, cum enim virtutes omnes Rerum publicarum moderatori necessariæ sint, hęc in primis effulgeat necesse est, quę virtutes omnes vinculo quodam connexas sub se continet, ac complectitur. Nam, & consultè omnia agere, & seipsum noscere, & quod cuique debeatur reddere, & sua retinere, & de alienis non certare Prudentia est. Mox cuncta ad virtutem dirigere, honestè factis gloriam quærere, inter vera, & falsa bona diiudicare, publicam salutem proprię ante ferre, nocere nolle, cum possit, Prudentia est: euentum rerum prospicere, declinare subitos malorum impetus, vno gradu ire, sed non vna via, servire tempori, & scœnæ, iter arripere, media disponere, quæ ad veram fœlicitatem conducant, honestumque finem consequantur, Prudentia est: Hinc eam virtutum omnium Reginam appellauit Philosophorum Princeps Plato, & eam propriam virtutem Respublicas, ac Regna moderantium esse docuit Aristoteles, & Satyricorum acutissimus cecinit:

Nullum numen abest si sit prudentia.

Vndè est Excellentissimè Præses, quod ab ipso Sole exorientis ætatis, omnes te summum Reipublicæ moderatorem futurum, & in summum Virum euasurum conceperint, vbi illam tuam singularem Prudentiam, natiuamque sapientiam admirati sunt: cùm penitus intuentibus ipsa tecum natauisa sit, vel tu ad eam natus esse videaris, Nam per omnes ætatis gradus, tanta Prudentia te exornatum exhibuisti, quanta vix suorum desideria, ac vota optare potuissent: ita vt ætatem Prudentia viceris, Prudentiam gloria coronaueris, eaque Duce per varios, honestissimosque gradus, adhùnc Supremum ascendisti, vltra quem procedere non possis.

Quæ

Quæ cum ita ſint, mirari certè non deſino Sapientiſsimę Reginæ Conſilium, omni laude digniſsimum, quę te his temporibus reſervauit in quibus, nec tuæ gloriæ poterat fœlicior campus aperiri, nec Hiſpanijs poterat propitius auxilium prę ſtari. Nam ſi vlla vnquam tempora Præſidem Caſtellæ prudentem deſiderauerunt, hęc noſtra prudentiſsimum requiſiverunt, cum ex eius ſapientia, ac conſilijs totius Monarchię incolumitas ſpiritum, ac vitam accipere abſolutiſsimè videatur, cum enim ob minorem ætatem Caroli Regis, hoſtes Hiſpani nominis certam ſpem penitus deuorandi, Hiſpanicam Monarchiam concepiſſent, cum ſubdolis machinationibus, malignis fraudibus, occultis dolis, in noſtra viſcera ignem ſubijcere poſſe pro certo ſperaſſent, quo fatalibus flammis exardeſcente ſupra noſtrarum cinerum cumulum erigerent infauſta trophæa, per malas artes quæſitæ fœlicitatis: is erat eligendus cuius inclytæ, & ſpectatæ virtutis ſplendor adverſariorum oculos feriret, & in ſui admirationem raperet; cuius Sapientia cum inſania, Pietas cum perfidia, Prudentia cum inverecundia, Fortitudo cum audacia, Iuſtitia cum immenſa alieni habendi libidine, Religio, veritas, conſilium, cum furore, cum mendacijs, cum leuitate maleferiatorum hominum, ex ęquo dimicare, & victoriam reportare potuiſſet. Et ſi enim armorum illa tempeſtas, quæ tantum ſanguinis fudit, quæ tantas calamitates Chriſtiano Orbi intulit interpoſita pace deſæuijt, tamen neſcio, quę præteritę procellę reliquiæ feſſum mare, turbant, aſperant, laceſſunt, ita vt merito timeri poſsit, quod ſub hac tranquilitate tempeſtas iam vicina tumeſcat; quod cœlum hoc illuſtre, nulliſque nubibus obductum procellas armet, & fulmina, quod ſub ementitæ pietatis officijs impia arma, ignei ſclopi, ac tormenta parentur, & quod ſub candidiſsimis floribus lateant anguens adverſus nos erupturi. Vndè precari oportet, Te Deus optimè maximè Hiſpanici Fundator, ac conſervator Imperij, Cuſtos Regum Princeps Pacis, Pupillorum Parens, Iuſtitiæ vindex, vt bonam, melioremque cauſam adiuues, reprimas inimicorum audaciam; petulantiam retundas; pereant ſuis artibus, quas in nos moliuntur, cadant ſuis telis, quæ blandis illita venenis in nos acuminant, incidant in foueas quas parant, & machinationum, quas improbe exornant, inſane extollunt audaciſsimè ſuſtentant, ruinis, conterantur, obruantur, ſepeliantur: Neque enim aliter ſperare licèt, dum his temporibus talem nobis Præſidem dediſti, qualem vix nos meliorem votis concipere potuiſſemus. Hinc eſt Excell. Præſes, quod omnium in te converſi ſunt oculi, omnium vota concepta, omnium ſpes collocatæ, qui non modo afflictam rem reſtitues, ſed florentem fœlicemque conſtitues. Quod enim, ita nos veritas amet, tam ruinoſum eſſe poteſt, quod eius Prudentia non reparabit? Quod tàm infirmum, atque immedicabile, quod in bonam valetudinem non rediget? Quod tàm quaſſum, quod tàm perditum, quod tàm lacerum, quod ſartum, tectum non reddere, non reficere,

C 2

non

non ſtabilire poterit? Ipſa profanas, ipſa ſacras, ipſa publicas, ipſa priuatas res ad priſtinam formam, decoremque, reuocabit, exornabit, augebit, tanta acceſsione gloriæ, quanta eorum ruina nulla humana ope reparari, ac ſuſtineri poſſe videbatur. Neque enim caſu eueniſſe exiſtimandum eſt, quod hæc electio in hoc tempus inciderit, in quo Hiſpana Monarchia compoſitis bellis, martialemque exuta Ægidam in pace quieſcit; in iſtis enim indicijs habebit ex eius prudentia, quo adverſus latentes inimicorum dolos, & in aperta bella, quod Deus auertat, erupturos, fortiter armetur, nouoque accepto ſpiritu animoſior exurgat, atque exardeſcat. Ex eminenti enim ſpecula eius Prudentia, quantum mortalitati licebit futura proſpectabit præuidebit prouidebit, & iactis altiſsimè radicibus malis, ſubpullulantibus, ac ſubnaſcentibus feſtinanter occurret, fortiter opprimet, fœliciſsimè èradicabit. Illa coget milites, parabit Exercitus, inſtruet ad aciem, animabit ad pugnas, indurabit ad victorias. Mox arcana, & occulta ſalutarium conſiliorum vifirmabit cum longinquis Regibus fœdera, confirmabit cum propinquis, in fide retinebit amicos, infidos deterrebit invidos, anteuertet hoſtium conſilia, præuertet aſtus, malè ſibi cohærentes machinas euertet, & ſuis artibus ſe capi poſſe docebit. Nam Excellentiſsimo Præſidi ad concipiendas, perficiendaſque res magnas nihil arduum, ac difficile reddi poteſt. Si enim aliquid ſublime, ac ſe dignum moliri voluerit, nobilis pectoris magnanimitas clauſa, & obſtantia cuncta aperiet percalcabit, diſſolvet; atque illud nobile ingenium ad omnia ſumma natum inveniet, perficiet, conſumabit. Si conſilijs, authoritatem conciliare voluerit, abundè præſtabit illa ſanguinis (qua in clariſsimo totius terrarum Orbis nobilitatis Theatro, exceptis Regibus, nulla ſplendidior. Si Iuſtitiam; eam ſuggeret ciuilis ſcientia, qua Romanæ Sapientiæ, Templum, hoc eſt leges omnes in ſui pectoris ſcrinio conſervare videtur: ſi mediorum diſpoſitionem eam ſubminiſtrabit experientia & adminiſtratio, quàm tot negotiorum euentus inſtruxerunt, & cognitio conditionum illorum hominum, qui rebus gerendis, vel obeſſe, vel prodeſſe poterunt. Si demum fœlicitatem eam plenis manibus concedet Deus, Optimus, Maximus, qui eum inviolis, roſiſque natum, hoc eſt, Inſignis Nobilitatis ſplendore clarum, ingentium dotium cumulis Illuſtrem, laureatis Dignitatum infulis cohoneſtatum, innumeris experimentis benè actæ vitæ conſpicuum, omnibus demum illis ornamentis ſpectandum, quę Supremum Conſiliarium decent, ad hoc ſummum faſtigium, quaſi ſuis manibus colloceuit, & invexit. O firmas, itaque bene ſperandi cauſas! O ſuaues lætitiæ fontes! O firmiſsimas ſpes, tàm ſolidis fundamentis innixas, ac ſuſtentatas! Fœlices iam nùnc Hiſpanię, digniſsimam hanc electionem inter Inſignes, ſecundoſque euentus conſcribite! Sereniſsimum diem aureis veſtri Orbis Gemmis Margaritiſque notate! Pleniſsima gaudia ęternis monimentis incidite; Nobiliſsi-

mumque hoc Guzmanæ Prudentiæ testimonium transeat ad posteros, nulla æui memoria conticescat, futura sæcula loquantur, nulla temporis obliuione nigrescat, atque obscuretur. Verùm enim, verò mihi Hispaniæ voces audire videor lætitiam suam declarantis, ijs verbis, quibus in Canticis Sponsa delitias suas, fœlicitatemque dulcissimis sensibus exprimebat: *Sub vmbra*, scilicèt, *illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Nam, & sub vmbra Excell. Pręsidis, fructus, Pacis Hispania degustabit, eorumque bonorum omnium, quæ ipsam beare cumulatissimè poterunt. Et quidem ad ostendendam hanc fœlicitatem, quàm Hispanus Orbis consequetur pro certo habeo præclarum Comitis Vallis Vmbrosæ Titulum, ac decus contigisse. Quid enim per Deum Immortalem, Vmbrosa Vallę iucundius, formosius, fœcundius, beatius. Eam enim, nec Soles torrent, nec vrit Syrius, nec perflant Euri, nec discerpunt Aquilones, nec tristis Hyems nimbis, procellisque diuerberat; sed Sol benignior illustrat, sed Astra beatiora maritant, sed ver purpureum depingit, sed Pomona fœcundat, sed Autumnus diuite vbertate coronat. Auræ illic suauissimæ recreant, Vmbræ Gelidæ opacant, cādidi Fauonij percurrunt; & tota Zephiri familia alis maritos rores distillantibus iucundissimè permulcent. Tanta prætereà vestit amœnitas apricos saltus, frondosos colles, tacitos recessus, iuga, rupes, antra, saxa, vt in ijs efformandis, non lusisse modo, sed aureis penicillis cuncta studiosè illuminasse rerum omnium Parentem Naturam credendum sit. Nec minori pulchritudine oculos pascunt virides scœnę, quas exornant, inumbrant, aperiunt, in iugis insidentes, ac fluctuantes teneri myrtus, suaueolentes lauri, cærulei rosmarides, patulę, odoratęque arbores, quæ vel Lybani colles, vel Medorum Silvas, vel Arabum nemora nobilitant, Aurea proferentes mala, Pelusiaca Cytria, orbiculata, acuminata, curuata, pendula, viridigantia, humanos artus referentia, auro toto flauescentia. Et has quidem intertexunt steriles alię, atque infœcundæ, & quibus vmbra in fructu est. Vlmi, Ilices orni, ramosique platani, brachijs latè sese distendentibus Nobiles, nec desunt fœcundiores, ramis curvatis, & ad dulcia onera laborantibus, in quibus, totus fructuum Paradisus inhæret. Flores interim passim occurrent, diuisim, catervatim, neglectim, & qui texuntur in Coronis, & qui halant in aris, & qui purpurant in areolis, & qui puellarum, Virginumque rutilant in Comis. Vos immortales Amaranti, vos Virgines Calthæ, vos Argentea Lilia, vos Rosæ Rutilantes, vos Lactea Gelsiminia. Tu mollis viola, Tu propria incense, atque illuse forma Narcise, Tu flebilibus inscripte notis Hyacinte: vos demum, & qui cādore cum niuibus, croceo pallore cum auro, splendore cum gemmis, rubore cum purpuris, forma, & pulchritudine cum Stellantibus Cœlestium viridariorum floribus de æqualitate contenditis. Quanta verò voluptas illa est inspicere, iter flores, interque silvas insidentes ramis, frondibus

insul-

insultantes, fructus deflorantes canoros volucrum exercitus; depictaque volantum agmina, quæ densatim, & circumvolitant, & sese condunt,& sese lacessunt,& vernant,& gemunt; & querulis carminibus infœlices amores; tristesque casus Silvis adsibibilantibus suauissimè referunt,ac lamentantur. Quod si alibi oculos convertas videbis erumpentia aquarum agmina, quarum aliquę ex alto sese præcipitãtes,tãto impetu,ac clamore in subiectas petras illabuntur,ac ruunt,vt in roscidum guttarum imbrem liquefiant,ac conterantur, & in mille riuos diuisę murmurantis, spumantisque argenti iucundissima imagine mirum in modum, oculos,inspicientium oblectant; aliæ vero pleno flumine per Silvas intercursantes, quasi per lusum se abscondunt,ac sepeliunt,postque emensum longum,iter sub terras, nouis velut è fontibus liquidę, ac pellucidæ emergunt: aliæ verò fugiunt,aliæ sequuntur,aliæ gemunt, aliæ rident, ac chachinnant, aliæ hùc,atque illùc, veluti errantes, ac baccantes interfluunt. Obmurmurant interim specus, raucitant rupes,respondent colles,& aquarum cadentium fragorem, clamoremque ad armoniam compositum,numerosiore repercussu Echo congeminat,& ne quid desit ad voluptatem ex aquis in vnum coeuntibus lacus efformantur,in quibus, & imminentium nemorum,silvarumque,totiusque incumbentis amœnitatis redditur, ac spectatur imago, & anguillæ subcæruleæ, & mulli saxatiles, & subflauæ Tructæ, & varij generis muta natantia nigris,sublucidisque catervis in puro, tacitoque fluitant, ac perlabuntur argento. Sed iam redeo, vndè Vmbrosæ Vallis amœnitate invitata mea diuertit Oratio,hoc est ad te Excell. Præses. Si enim hæc iucunda auditu sunt, iucundiora, ornamenta erunt quibus tu Hispanias recreabis. Tua enim Vallis hortis Hesperidum erit insignior,tui flores fructus erunt; nullisque,aut hyemis,aut æstatis, vicisitudinibus efflorescent: æternumque ver, æternumque Autumnum,tua Prudentia præstabit,ac conservabit. Quorum quidem semina in celeberrimis Academijs, vel à primis tuæ ętatis annis abundè sparsisti, ac disseminasti.

Et ecce in studiorum primos labores, atque ocupationes ipsam educit Oratio, in quibus eius Prudentia quasi aureum sidus effulsit. Ea enim effecit, vt cogitationes, mentem, animumque totum in ijs, intenderet, noctu, diuque laboraret, inuigilaret, insudaret; vt dignase, digna suo sanguine, digna suo ingenio, digna sui expectatione præstaret. Proinde ab hoc incæpto,non eum distraxit sublimis conditio inter amplissimas,splendidissimasque suę domus fortunas, educata; non ętas florida, magis apta coronari rosis,quàm inter spineta obluctari, ac cruentari; non insitus Nobilitati fastus, auito splendore satis sibi blandiens,ac tumescens:non scientiarum inhærens radicibus amaritudo, atque acerbitas, quæ deinde in suauissimos fructus marurescit:non illæ demum semitæ,quibus itur ad gloriam arduę, confragosæ, abruptæ quarum primam partem habent

ſaxa, rupeſque, poſtremam verò Palmę, Coronęque Nobilitant, quę quidem primo aſpectu terribilia, ſummos, forteſque Viros, quandoque ab incepto detinuerunt, abſterruerunt, vicerunt: illi verò hæc omnia calcaria admouerunt, faceſque ſubdiderunt, vt ad propoſitam in animo ſcientiarum poſſeſsionem, alacrius incitaretur, ac totis alis aduolaret. Nam vbi Philoſophię Templum, Sacratumque illud penetrale nouus candidatus ingreſſus eſt, quàm benè animatus, quantiſque dotibus inſtructus eſſet, oſtendit? Iàm enim Diuina Platonis Oracula, & Ariſtotelis effata, & Epicuri argumenta, totamque illam, veterem Sapientiam, non primis labijs, ſed toto, vt aiunt, pectore, hauſit, quodque in illa abditum, obſcurum, arcanum, nodoſum fuit, reſerauit, illuſtrauit, perluſtrauit, enodauit. Cum enim ad eximium ingenium immenſum laborem coniunxiſſet, breui ea perfecit, quę fieri poſſe, nec à quocumque alio, non modo ab ipſomet, vix ipſe credebat. Quid enim obſtaculo eſſe poterat volenti, cum hoc ipſumvelle ſit poſſe. Proinde non modo contra voluptates, ſed contra neceſſarias remiſsiones claſicum cecinit, bellumque irreconciliabile indixit. Dormiebat, ſed qualis in Occeani fluctibus clavum moderans, obſcuro noctis, debilitatę Nauis Scientiſsimus Gubernator, vel qualis Dux adverſus inſtructum hoſtem Milites primo manè educturus in aciem. Quieſcebat, ſed inter puluinaria libris referta, vt ſuis ſtudijs, etiam ſomniorum imagines informaret: Implebat naturæ contumacis, ſuaque repetentis iura, ſed vt ex his velut militari ſumpto viatico animoſior ad litterarias exercitationes, exurgeret, atque exardeſceret. Quoties illum familia in ſtudijs occupatum primis ſeſe intendentibus tenebris reliquit, eademque in ijſdem nullo interiecto ſpatio die illuceſcente, deſudantem invenit? Quoties prandij cœnæque oblitum, faſtidientem, ac recuſantem admonuit, obiurgauitque? Quoties valetudinis rationem haberet, Animi impetus refrenaret, ſtudiorum exercitationibus corporis inſtrumenta retundi, robur frangi, Vires labefactari, atque enervari, cariores, & ſanguine coniuncti inculcauerunt, atque infimis precibus petierunt. Accedebat etiam propria quædam ſtudendi Methodus, ac via, qua ad ſcientiarum peritiam perveniebat. Alij enim ad radios, ipſe ad Solem mentis oculos intendebat, alij exemplaria reſpiciebant, ipſe primitiuas formas imitabatur, alij ex riuis, ipſe ex fontibus puriſsimos ſcientiarum latices hauriebat. Nec minoris admirationis in eo erat admiranda, perſpicaciſsimi ingenij celeritas, cuius velocitatem vix ęquare videbantur, vel iaculum Perſico emiſſum arcu, quod auras, nubeſque ſibilentibus alis diſſecaret, ac traijceret, vel impiger equs, qui propius admotis calcaribus, natiuoque ardore ſuccenſus ad Palmam pervolitaret: vel Aquila, quæ dubiam, atque implumem prolem, ſuæ generoſitatis ſpem ad roſeam Solis facem, intentis, & indeiectis oculis probatura, remigio alarum aera cęſcenderet; vel Nobile, ac perenne flu-

flumen, quod nemorosis, altisque decurrens è montibus ingenti impetu ad mare sese deuolueret, atque exoneraret: cum de quocumque argumento arduo, nouo, inexcogitato ageretur, statim percipiebat, discutiebat, & viscera, atque arcana, penitissimosque, si qui erant, recessus, introspiciebat, & quod alij, diu, meditatumque afferebant, ipse dicto ocius proferebat, & supra admirationem. Ita vt eodem tempore; & ingenium scientijs excoleret, & ingenij velocitate scientias exornaret. Omnem verò laudem superabat insignis memoriæ vis, ac fœlicitas, qua quidquid mens percipiebat, legebat, percurrebat longissimè asservatum custodiebat. Imò cum ingenium, & memoria ex natura ipsa simultates exercere, & adversis frontibus sese, respicere docuerit Aristoteles, quod an verùm sit iusti rerum ęstimatores diiudicent, certè in eo manus sibi dedisse, & in amicitiam se coniunxisse videbantur, cum ingenium memoriam illustraret, memoria ingenium condecoraret; atque hęc omnia cunctis grata, nullis molesta modestia coronabat, nam ingenij in eo fulgebat sublimitas, sed sine elatione, dotium magnitudo, sed sine aliorum despectu, scientiarum fastigium, sed sine fastu, eminentiæ clarissimus splendor, sed sine audaciæ, aut superbiæ nubibus, obscuritate, caligine. Vbi verò à Philosophia ad Iurisprudentiam, hoc est, ad veram, & non simulatam Philosophiam, vt afferit Iurisconsultorum sapientissimus Vlpianus, se contulit: quantæ admirationis fuit, quod vastissimam illam, diffusamque Ciuilem Sapientiam facillime complexus sit. Et quod summos, veteresque Iurisconsultos statim ęquare, & cum ijsdem contendere posse, visus est. Audiebat Pręceptores, sed vt illis admirationi, sibi glorię esset. Assidebat cũ cõmilitonibus, sed vt illis præesset Imperator, & Dux: reliqua alia litteraria munera, vt cæteri obibat, sed supra cæteros illum sui ingenij præstantia extollebat. In exercitationibus verò, quæ vel publicè, vel priuatim, vel ad menses, vel ad annos præstabantur, non facile relatu est, quantam celebrationem consequeretur. Inveniebat enim acute, respondebat prompte, enodabat facillime, explicabat facunde, & non iam Tyro, sed veteris, eximijque Præceptoris munus implebat. Si verò adversariorum sententias impugnabat, quàm nervosè oppugnabat, quàm fœliciter expugnabat? Nullum vnquam argumentum ab eo emissum sine vi, nulla vis sine consternatione, nulla consternatio, sine victoria fuit. Viuunt ad hùnc diem, longumque viuent laureati suo nomine parietes, servant adhùc muta marmora, ędes, fori, Templa, immortalem suarum victoriarum memoriam, & dum Salmanticæ litteræ vigebunt, dum scientiarum studia colentur, eius nomen summo semper in honore habebitur, & quasi ingens exemplar posteris intuendum, imititandumque proponetur. Et quis nam erit meę Orationis modus, si referre velim quantum in omni genere scientiarum profecerit, cum id in animum induxerit, vt quidquid Sapientem Virum constituere posset, in se plenissimè

vniret. Ad quod cum tota illa Gentium, veterumque sibi blandiens Sapientia, arcanis abdita involucris, ac nescio quibus corticibus obtècta, pervolenda esset, pervoluit? Cum Oratorum sententiæ, & abundè loquens Sapientia, Rethorum elegantiæ, Poetarum amœnitates, & flores essent decerpendi, decerpsit! Cum Politicorum arcana, Moralium documenta, Mathematicorum effata, & quidquid Sacræ, vel profanę Litteræ complectuntur summo labore, perquirenda essent, perquisiuit, deuorauit, concoxit; & Gratijs, & Musis, & Apolloni carus, quæ dispersa Sapientes efficiunt in se coniuncta cumulauit. Certè nullæ vnquam sedulæ Apes, verè iam nouo, seu construendis fauis, ac Cœlestibus mellis muneribus elaborandis insudantes, nectareos rores, ambrosios succos, odoratos spiritus, & quasi flores florum, cereis in tectis, tanta vigilantia, ac sedulitate coegerunt, & condiderunt, siue fragrantes Hiblæ montes, siue beatos Hyemetti colles, siue roseos Cypri saltus, ad primos ortus purpurascentis Aurorę albente die, maturo iam Sole, discerperent, deflorarent: depopularentur: quanta diligentia, ac labore ingeniorum, ne dicam, Guzmana Apis, an Phœnix? Scientiarum omnium flores, ac pulchritudinem in se congessit, condidit, cumulauit: id ita fortasse Diuina Prouidentia disponente, vt tantum, tamque eximium scientiarum apparatum in Reipublicę vtilitatem conferret, & dignum se redderet, & alijs Magistratibus, quos cum summa laude gessit, & splendidissimo hoc Dignitatis gradu, quem nùnc iure optimo omnes eum ascendisse lætantur. Hinc enim effectum est, vt Dignitates omnes, non iam gradatim, sed turmatim ad eum confluxerint, & advolauerint. Nam postquam inter sodoles Collegij *de Ouiedo* Salmanticę, hoc est inter Insignes, & Clarissimos, & Ingenio, & Nobilitate iuvenes, ex quibus quinque Castellę Præsides exierunt, cooptatus fuit; statim Vallisoletum, ad audiendas ciuiles, criminalesque causas, cum imperio missus est, vbi post innumera edita ingentium virtutum documenta, vt Fisci Patronum ageret Indiarum Consilij amplissimo munere, grauatus, condecoratusque est, quo quidem, & industriè, & consultè administrato parva interiecta temporis mora, vt assisteret, curaretque Hispalis res, cura demandata est. Et quoniam quocumque munere semper se digniorem prętabat, ad Regium Castellæ Consilium vocatus fuit, vbi inter Camerę, & arcani Consilij quatuor Ministros, quod munus dignissimum est, adscriptus fuit, & demum cum nullus alius esset gradus, ad quem perveniret, ad hùnc supremum, quo ad præsens fruitur, ascendit; qua Dignitate, cum in se gubernationem Monarchię contineat, nulla maior desiderari potest, nec si desideretur, quę alia desiderium expleat, dari potest.

Ex quibus quidem illud deduci potest, quod si sola earum enumeratio me fatigauit, quidnam erit, si omnia in ijs pręclare gesta exornare velim? Nam magna certè laus est, quod vnus tantas Digni-

nita-

nitates acceperit, summa verò, quod vnus omnes benè administrare, atque exornare potuerit! Nam nescio qua humanæ imbecillitatis misera conditione, raro summa virtus extenditur, ad plura, & quod in aliquo deficiat, qui in pluribus emineat animadvertimus, vndè adagio locus: *Non omnis fert omnia tellus.* Hoc verò nostri Herois proprium fuit, in omnibus se præstantem ostendere in omni, & quocumque munere excellere, & vbicumque fertiles reddere, vel invenire campos ad vberrimos gloriæ fructus colligendos: proinde cum potestas sit Lydius Lapis, quo quanta sit, vel aurea virtus, vel ferrea, latensque malignitas dignoscatur, in eo omnia erant laude dignissima, & nihil reperiri poterat, quod posset aliqua reprehensionis nota succenseri. Pręterea tanta in hijs benè administrandis vtebatur vigilantia, vt quicumque eius Magistratus labor esset, non Dignitas; ad invidiam aureæ illius ætatis, in qua hominum genus nondum adultis vitijs beatissimè agebat, *& officium erat imperare non Regnum.* Certè in tanta Dignitatum affluentia, ac mutatione nullus vnquam à se ipso immutatum vidit. Non rigor abalienauit à lenitate, non à Pietate, Iustitia, non à Clementia, Seueritas, non à temperamentis humanæ conditioni debitis scelerum facies. Irascebatur, vt corrigeret, vt emendaret: insectabatur malos, vt redderet bonos, admonebat bonos, vt faceret meliores, vitia demum detestabatur, non homines, dices rediuivum esse Periclem, qui in suo Magistratu, dum vestibus induebatur monitum volebat, quod filij essent, quod Ciues, quod Athenienses. Nulli proinde miseri, vnquam ad eum accesserunt, quos cum posset non recreauerit, nulli oppresi, quos non erexerit, nulli calamitosi, quibus non profuerit. Et quando aliter non posset, lenitate, & misericordia, miserijs, & calamitatibus afflictorum opem ferebat. Tantus verò in eo fuit Iustitiæ, Zelus, vt maior in homine desiderari vix possit. Talem voluissent suum Iudicem Spartani, qui cœcum hominem pingebant, talem, Lacedœmonij, qui decisis, mutilatisque auribus, quarum iudicium, vt aiunt, superbissimum est, & trucum manibus efformabant. Nulla vnquam apud eum fuit acceptatio personarum, & cum sanctissimum amicitię vinculum coleret, Iustitiam Platone, & Socrate potiorem habebat: quod à Cleone bellissimé expressum legimus, qui vbi ad Rempublicam gubernandam accessit, convocatis amicis, se amicitiæ vincula iam dissolvisse testatus est: ne ijs à recta iudicandi ratione distraheretur. Proinde neque latum vnguem ab ea dimouerunt, magnatum oblanditæ commendationes, potentum interposita authoritas, non fauor, non preces, non amor, non odium, non ipsæ pauperum lacrymæ, ac lamentationes, ad Præceptum Dauidis, *in iudicijs non misereberis pauperum*; ita propitias easdem aures cunctis præbebat; eadem fandi tempora, eundem vultum, eundem animum, nullo discrimine Tros Rutulusve fuerit. Talem demum se gerebat, qualem iuris, & ęquitatis sapientissimum Ministrum esse debere di-

dixisses: In fædandis verò, ac restinguendis inimicitiarum, ac discordiarum facibus, quam fœlici prudentia vtebatur? Nam, & primis motibus opportunis remedijs præsto erat: & controversias transactionibus, inimcitias concordijs animorum dissidia pacis fœderibus conciliabat, & in pristinum statum reponebat. Nam, & mortalia odi a, immortales verò, æternasque amicitias esse debere dictitabat. Quando verò, & cum aliter fieri non posset, ad iudicandum cogebatur tanta sapientia, atque æquitate iudicabat, vt etiam qui causa caderent, eadem, qua anteà reuerentia, & amore prosequerentur. Hinc illę voces, vndique resonabant, pupillorum qui Parentem, Viduarum, qui Tutamen, miserorum, qui Asylum, omnium qui absolotum, ac perfectum illius antiquę probitatis, ac sapientiæ exemplum plenis, encomijs prædicabant. Ex quo effectum est, vt sola sui veneratione, ac cultu, in omnium Animis tenacissimè impresso, id consequeretur, quod alij acerbitate, ac seueritate pœnarum, vix consequi potuissent. Nam, occurrebat flagitijs, antequam admitterentur, & seueritatem exercebat, potius, ne peccaretur, quàm in peccantes: stultum enim putabat, quod posset caueri, admittere, vt puniatur; cum salubrior illa æstimari debeat medicina, quæ morbum anteuertat, ea quæ laboranti infirmo afflictam valetudinem restituat; si enim mala essent tenera, & nascentia radicitus euellebat, si adulta, inueterata, ac robusta, quorum pertinacia omne remedium eludebat; & ex genere eorum quæ diuelli sine diuellentium exitio non poterant, leniebat, diuertebat, miserebatur, & si non consequebatur, vt decrescerent, certè obtinebat, ne crescerent; & prudentissimo medendi genere, curabat, vt vel comparatione bonorum emendarentur, vel ex se ipsis considerent, ac consumerentur. Celebrent itaque suum Herculem Hispaniæ, quod semiferos, & indomitos Centauros deleuit, quod aurea rutilantis nemoris poma Draconi, vitamque eripuit, quod Hydram è suo funere rediuiuam, ac renascentem flammis, & sagittis extinxit, quod in suo casu resumentem animam Anthęum exanimauit, quod tricipitem Cerberum ex vmbrarum, noctisque Regno ad Solis Lucem captivum eduxit, quod post alios nobiles labores, dubia Astra, labensque Cœlum Humeris suppositis sustentauit: Extollant suum Vlissem, Itaca, Iasonem Athenę, Theseum Thebę, & si quos alios Heroes peremnis fama decantat, qui non fabulosa monstra, sed in rei veritate vitijs, flagitiosisque hominibus Regiones, Prouinciasque purgarunt; dummodo, quod Guzmano Heroi pares Triumphos decernant, easdem texant Coronas, Arcus erigant, exornent Trophæa, excitent Columnas, plausus ingeminent, qui inermis, & solis suis virtutibus instructus, hoc est Constantia, Fortitudine, Integritate, Prudentia, in suis Magistratibus, ac Dignitatibus, Rerumpublicarum pestes, vitiorum monstra, deformes scelerum formas, oppugnauit, profligauit, exterminauit, extinxit.

Verùm enim verò, cum iam ad finem properet Oratio mea, illud

faten-

fatendum est, eximiæ Prudentiæ tribuendum esse; quod summo Viro in toto vitæ instituto, hoc fixum, firmumque insederit, hoc semper intenderit, in hoc totis Viribus insudauerit, vt per maiorum suorum vestigia graderetur, virtutes exprimeret, celebritatem æquaret: & tantam gloriam Guzmano sanguini refunderet, quantam ab eo accepisset. Hoc enim proprium onus, hoc Nobile posterorum munus est, gloriæ, scilicèt, Patrimonium à maioribus acceptum nouis accessionibus, multiplicatoque fœnore, augere, ac cumulare, & cum reliqua hæreditate posteris exsolvere, præstare, transmittere. Nam si vlla vnquam in toto terrarum Orbe prestans colitur priuata Nobilitate Familia, vel Guzmana est, vel nulla est. Ex ea enim prodierunt summi Viri, & Armorum, & Litterarum prestantia Clarissimi, Inuicti Heroes, Celebratissimæ Heroinæ, Nobilissimi Principes, qui ingeminantes virtutibus genus, cum Antiquis, Maximisque Heroibus, non modo comparari, sed superextolli meruerunt. Nam si bellorum fulmina desideres, si Alexandros, si Scipiones, si Cæsares, inter Guzmanos Clariores habebis. Si Scientiarum Oracula, si ob res egregiè gestas, ob servata Regna, ob spectatam fidem Regibus Charissimos requires, Guzmani suppeditabũt: si supra homines inter homines habitos, & post mortem inter Sanctos relatos, Guzmani erunt: si quid Præclarum, si quid Augustum inter reliquum mortale genus admirationem vnquam meruit, inter Guzmanos meliori luce, maioribus cumulis, dignioribus ornamentis auctum, cumulatum, exornatum invenies. Illustres Animæ, Clarissima Orbis terrarum decora, & ornamenta in bonam partem accipite, si Splendidissimum, ac Sacrosanctum vestræ gloriæ Ærarium temerarius aduena, & curiosus admirator ingredior? Parcite si immortalia vestra facta, quę gemmis fulgidissimis insculpta, suo sinu servat, ac servabit Æternitas, hic proferre, & enumerare obscurus audeam Orator? Ignoscite si vestrarum virtutum Pærclarissimam, & Nobilissimam Imaginem, quarum lumina claritudinem Solis, vel æquarunt, vel superarunt, fuscis meis coloribus, ac malè perductis lineamentis potius inficiam, quàm colorabo, & illustrabo! Nam pulcherrimę res, & Illustres, & suo splendore radiantes in tenebris delitescere, & obvolui non patiuntur. Et omnia benefacta ad posterorum admirationem, & exemplum in lucem collocari volunt: Et si ignorassent homines, vel obmutuissent; ipsa tamen per se loquerentur, atque innotescerent. Et Vos non tàm eximias facere debuissetis, si silentio obrui, atque obnigrari voluissetis? Quod si dignis laudibus, quę piè, fortiterque gessistis, celebrari non possunt; debita tamen, & non ingrata obsequij recordatione, fraudari non possunt. Quis enim in toto terrarum Orbe locus, quæ tàm remota Regio, quæ tàm surda gens, vel in Nili sese præcipitantis Catadupis inhabitans, vbi vestrarum virtutum fama non peruenerit? Vos Hispaniarum firmitas, atque ornamentum: Vos Maurorum flagella: Vos aflictè Religionis Co-

lumnas: Vos Christi brachia? Sine quorum facinoribus in glorij fuissent vestrorum temporum Annales, & obscura, & sine honore sæcula delituissent! Cum enim Hispania diuturno illo, grauissimoque iugo ne dicam, an bello? per tot annos oppressa fuerit, quo tempore immanissimæ illæ belluę, humani sanguinis sitientes, vastabant agros, diripiebant oppida, ferro, flammisque Sacra, prophana cuncta depopulabantur, cum oppugnatam, & penè expugnatam Religionem, furens scelus, & impietas, percalcabant, irridebant, cum superstitio horribili vultu, vndequaque triumphabat, cum Eumenidum agmina crinalibus anguibus horrenda, prophanis, atrisque facibus armata, sanguineis, tortisque flagellis debacchantia, omnia sanguine cœdibus, ruinis implebant, inflammabant, cruentabant: Cum demũ luctuoso Hispaniarum funeri inhumana crudelitas bonorum omnium extremis malis parentabat: Guzmanam gentem illi Diuinitus datam credendum est, vt obiectu corporum, fortunisque, vt inuicta animorum constantia, & fortitudine, vt militari virtute, vt oculata ad omnes casus vigilantia, liberarent ab obsidionibus Vrbes, à direptionibus oppida, à depopulationibus agros, ab excidijs priuatorum domos, ac fortunas, à sceleribus Templa, à prophanationibus Aras, ab omnium iugulis cruentos, mucrones auerterent, catenas disrumperent, atque in inimicorum colla conijcerent, & demum captiuas Hispanias, liberis Hispanijs restituerent. Vbicumque enim eorum arma direxerunt, ea fœlices euentus insecuti sunt, & quasi pro illis pugnaret Deus, supra vota fuere victoriæ. Rubuerunt pluries Maurorum sanguine decolorata flumina, intumuerũt operti cadaueribus campi, decreuerunt cumulati ex ossibus montes, & manubijs ex hostium spolijs reportatis Christi Templa triumpharunt. Nullum enim vnquam militare negotium susceperunt, quod non fœliciter confecerint, nunquam hostes adorti sunt, quos non fugauerint, nunquam cum exercitibus ęquo Marte contenderunt, quin non deleuerint, nullas Vrbes vallo cinxerunt, atque oppugnauerunt, quin victores, non expugnauerint, cum nullis Regibus dimicauerunt, quin captiuos non duxerint, vinxerint, triumphauerint. Sed quid ego ostendo, apertissimo die Solem? Quid inani, & infructuoso me labore fatigo? Quando vnus è Guzmanis poterit omnes post hominum memoriam, fortissimos Duces, Claros Imperatores, Inuictos Reges, bellica gloria, ac fortitudine longissimè, vincere, ac superare! Sed iam quem innuam, quem significem, non in obscuro est? Nam quando vnquam, & quibus ignotus esse potest Alphonsus Guzmanus, totius humani generis vocibus celebrandus! Hìc cui ex bonitate, boni cognomen fuit, cum Ioannes Regis Sancij frater, ardente inter eos bello, Tariffam, tunc temporis Nobilissimam, atque Amplissimam Vrbem, valido Maurorum Exercitu obsidione cinxisset: Cui Rex Alphonsum strenuissimum suę ætatis Ducem præfecerat, tuendamque ad omnes hostium conatus, repentinosque incursus

tra-

tradiderat: hìc inquam, cum ad prandium se recepisset, Petrus filius cum strenuis aliquot nobilibus subitam in hostes irruptionem fecit, à quorum multitudine, circumventus, licèt eorum multo sanguine cruentus, amissis socijs, in hostium potestatem venit: Itaque Ioannes victoriam in sinum à Cœlo dilapsam ratus, Iuuenem; vinctum ad portas Vrbis sistit; patremque ad colloquium vocat, oppidani, qui ad excubias stabant, subito motu perculsi, clamorem ingentem extollunt: Ad quem Alphonsus rei ignarus aduolat; silentibusque omnibus, & lacrymantibus filium captivum, vinctumque videt, & Ioannem insultantem, si filium à morte salvum vellet, Vrbis deditionem faceret: quibus verbis in nihilum commotus Alphonsus, molestum mihi est respondit, quod quinque alios filios in tàm glorioso vitę discrimine non video? Vtinam hìc adessent, nàm fratri, vel palmam præripuissent, vel cum eo fortiter dimicantes occubuissent. Quos si pro Pietate in Deum, pro Fide in Regem, pro incolumitate Ciuium, pro salute bonorum, pro Fortitudine, pro Constantia victimas cruentas, futuros genuissem; summopere me ad hanc Nobilem Palmam genuisse lætandum foret. Tu interim perge, & filium meum, occide disseca, discerpe, & ne tuæ desint mortis instrumenta libidini pugionem è vagina denudatum proijcio: vt scias tàm firmiter Patrem posse filij mortem siccis oculis aspicere, atque accelerare, quam filium invicto animo excipere, & sustinere. Et cum dicto, discessit. Hostis in furias actus Patris ferro filij pectus transverberat, transadagit, disrumpit. Quo viso cum Ciues denuo lacrymas, eiulatumque, ingeminassent, totamque Vrbē, fama percrebescens, horrore, gemitibusque compleuisset: Accurrit è mensa Alphonsus, & cum Iuvenem exanimem, iteratisque vulneribus discissum, vidisset, conversus ad suos: Abstinete a lacrymis, inquit, filius meus, nec fœlicius, nec honestius mori potuit: Mortalem genui, immortalem sua sors, & virtus reddidit. Ego hùc veni, quia putaueram, quod hostes in Vrbem penetrassent. Nec plura: placido vultu, reuersus, ad domum prandium redintegrauit. Hostis facti magnitudine perculsus obsidionem solvit. Sed iam siste hìc parum per Oratio mea, teque ipsam reuoca, & tàm Nobilem narrationem attenta consideratione reuolue? Qnibus enim laudibus, tàm ægregium facinus extollere, atque exornare poteris? Appellabis numquid hoc factum? Si nihil vnquam talè factum est? Qnod præterita sæcula inuidebunt, futura desiderabunt! Numquid hominem dices Alphonsum, qui supra naturæ reclamantis leges, & maior homine, tàm sublimiter assurgit, vt cum toto cœlo, & superis ęxęquari possit? Numquid Iudicem? Et vbi nàm terrarum Iustitia adeò in pretio fuit, vt adversus innocentem mortis sententia proferatur, vulneribusque, ac cœdi, Iudicis ensis accomodetur? Si verò Patrem nuncupabis? Et quonam iure? Si ad aspectum, & morientis, & mortui charissimi filij, nec horruerunt viscera, nec vultus expalluit, nec animus defecit, nec largis, in-

iu-

iussisque lacrymarum imbribus ora rigauit? Vos vos ego compello, præteritorum sęculorum, præclarę, insignesque memoriæ? Exite iam è latebris, inclarescite è tenebris, ex vetustissima temporis arce pedem reuocate? Et si quid habetis in comparationem admirandi facinoris, producite, exhibete? Nam, & Abraham Sanctissimus senex filium suum, in spem generis, claritudinemque suę gentis educatum, quoad ipsum fuit, occidit, sed mãdante Deo: Dauid cœdem perduellis Absalonis sustinuit, sed fœdissimo proditionis in Patrem, & Regem scelere commaculatum? Alij filios, vel suauissima regnandi cupidine accensos, & noua molientes, vel isto, vel illo grauissimo scelere deturpatos à viuis sustulerunt; vnus Alphonsus, nec à Deo præmonitus, nec aliquo scelere incitatus, filiũ, hoc est charissimã suorũ viscerũ partem, strenuissimũ Iuuenẽ, in ætatis flore, in spem magnarũ rerum crescẽtẽ, in ipsius occulis, in hostium manibus, morti deuouet, nõ alieno ferro, sed suo: mortuum illacrymantibus omnibus, indeiectis, & quasi ferreis luminibus, videre sustinet, imperterritus, immotus, imperturbatus, ita vt non dicam hominibus, sed sensu carẽtibus, sensum admirationis, atque horroris incutiat, atq́ inducat? Fortissimè Heros, & quantum mortali licuit, omnium mortalium beatissimè; Tui filij morte effecisti, vt ille in te viueret; tu in illius funere triumphares? Ex cruento illo saucij pectoris fonte plus gloriæ defluxit, quàm sanguinis? Extremus ille morientis afflatus Poetarum plectra, Rethorum voces animauit? Illo cruore nobilitasti Hispanos fastus, irrigasti æternos tuis temporibus lauros, erexisti in purpureo Occeano, non Herculeas, sed Guzmanas columnas, vltra quas procedere humanę vetitum esset fortitudini? Ferreo illo mucrone stylos acuisti Famæ, quibus in numquam intermorituris Annalibus, tàm nobile factum inscriberet? Exornasti aureas tubas Gloriæ, quibus tuum, filijque nomen per Orbem terrarum decantaret, Beatas Coronas Christianę Pietati, ác Fortitudini imposuisti, quibus per omne æuum inclarescerent, superbirent gloriarentur: & ne de tuis laudibus vlla obmutesceret ætas, immortalia ora in mortalibus tui filij vulneribus aperuisti? Agite iam Alexandri, Cæsares, & quotquot exercituum clarissimi Duces magnum apud posteros nomen consecuti estis; qui captiuorum lacrymis læti, denudatorum spolijs onusti, humano sanguine cruenti, cœdibus exsaturati, extinctarum Vrbium cineribus sordidi, ex magnis latrocinijs superva Regna parastis, Alphonso Guzmano fasces, & vexilla submittite, de Principatu decedite vobis superiorẽ, & clariorẽ confitemini? Qui non liberam, florentéque Rẽpublicam, & Patriam suam subegit, Ciuiumque cerbicibus iugum servitutis imposuit, non Darium finitimum Regem, non Lacessentem, nec inquietãtem amplissima Regnorum possessione, auitoque Solio deiecit, ac spoliauit, non aliorum calamitates suum quæstum fecit, sed ex Pietate sed ex Fide, sed ex sui victoria, sed ex victima filij Deo oblata, immortales Coronas Cœlestia Regna, veram, solidamque gloriam, non fucatam, non

adum-

adumbratam, non sanguinolentam, non fugitiuam, non euanescentem, sibi parauit, ac consecutus est? Et ò quàm ex veritate affirmare possem, ad tàm insigne spectaculum superos ex omnibus Cœli partibus accurrisse, inspexisse, in admirationem raptos plenis manibus plausisse, & beatissimam illam Animam è cruento corpore candidissimam exeuntem triumphali pompa excepisse, immortalibusque rosis, ac floribus coronatam inter Martyrum Choros sublimi in Solio collocasse. Proinde Rex Sancius tanta veneratione, atque admiratione hoc factum excepit, vt publico ad Alphonsum misso, diplomate cum Sanctissimo Abrahamo eum comparauerit; tantisque eum Dignitatibus cohonestauerit, vt suam potestatem velut ex æquo cum ipso diuisisse videretur. Et certè huius amplissimæ domus, hoc semper proprium fuit ornamentum, ob ingentia nimirum merita, charissimos Reges habere, ita vt Vicaria eorum potestas, ac pars publicarum curarum illis, non semel demandata fuerit. Nam, & Alphonsus quem laudaui, tanta apud Sancium Regem gratia valuit, vt nihil, neque in pace, neque in bello sine eius voluntate, & consilio ageretur; ita vt partiti inter eos fasces viderentur. Certè subsecutis temporibus Alphonsus Prudentissimus, & Pijssimus Rex, tanto honore, tantisque beneuolentiæ significationibus Ramirum Guzmanum prosecutus est, vt eum Primarium Ministrum declarauerit, & quo hæc celebritas ad omnes innotesceret, publico eum conuiuio excepit, & in eodem vase vitreo intinto, in vinum, pane amicitiæ, sincerique amoris illo solemni, veterique Ritu, non vulgare documentum expressit: tantaque fuit Ramiri in omnibus Regni momentis authoritas, vt præter Reg s Insignia, nihil in eo desiderari potuisset: prætereo alios, quos post longum seculorum ambitum, viuos, immortalesque, non minus eorum prestantia, quàm Regum gratia diutissimè servabit. Nostris certè temporibus inter Philippum Quartum, cuius Animam in Cœlum receptam credimus, & quem semper Hispanijs desideratissimum Pietas, & Regia liberalitas reddet, inter ipsum inquam, & D. Gasparem Guzmanum tantum beneuolentiæ vinculum, tanta animorum inclinatio intercessit, vt eius humeris totius Monarchiæ moderationem imposuerit: & certè satis clarum eius nomen fuisset, nisi illustres Viri virtutes calamitates temporum obscurassent. Eodemque tempore D. Ramirus Philippez Guzmanus, Dux Medinę Turrium, adeò Regis animum rapuit, vt nihil eo absente Regi iucundum, aut voluptuosum esse posset. Et certè hìc dici potuit, alterum Guzmanæ Domus, vel oculus, vel brachium. Deus Bone, quæ dotes, vel Animi, vel corporis, in eo micantibus radijs non effulsere? Ingens Consilij vis, incredibilis, animi magnitudo, altissima Prudentia vsu ingentium munerum, quæ cum Dignitate, administrauerat, perfecta, & exornata: arcanorum Monarchiæ exacta notitia, ingens diuitiarum, ac Dignitatum

cumulus manifestus fortunæ obsecundantis fauor, flexanima eloquentia, demum in omnibus suis actionibus, vitæque modo supra priuatum hominem splendor, & Rege digna Maiestas, ita vt omnium consensu dignus habitus fuerit, anteimperare, quàm nasci; & simul hominem, ac Regem consalutari, ex quo quidem Regum fauore, ac continuata beneuolentia effectum est, vt quæ Dignitates singulæ, alias domos, & præclarissimas illustrant, omnes simul iunctæ in Guzmanorum Familijs mirum in modum elucescant. Propterea si Titulos Magnatum Hispaniarum, si Ducum, si Marchionum, si Comitum, si opes, reditus, oppida, dominia, ditiones, Maioratus, peculiares præeminentias, munera, quę pacis, ac belli temporibus, vel in perpetuum Familijs emancipata, vel ad tempus retinent referre contenderem; idem esset, ac si serena, atque adulta nocte, immensa siderum agmina distinguere: atque enumerare velim. Illud tantum silentio præterire non possum, quod primus Ducis Titulus, eorum qui nùuc extant, & qui in Hispanijs Princeps est, cum Principis nuncupatio in Castellæ Regnis nunquam fuerit admissa, in Excellētissima: Domo Ducis Medinę Sydoniæ, tāto splendore refulget, quanto prouecta, & illustri nocte aurea Luna pleno iam Orbe, totaque luce resplendet. Fœcunditas verò huius præclarissimæ Domus, tanta extat, atque extitit, vt nunquam afflicta senio, vel tempestate, fœlicium comarum decus amiserit, aut ramos, trunco sterilescēte demiserit. Nec celebris, aut ramosa, adeo fuit vlla Platanus, vel in gelidis Liciæ fontibus culta, vel in Cretæ amœnitatibus, Europæ, Iouisque concubitu celebrata, vel in Romanis villis, vino generosiore rigata, siue quę Cyro in amoribus fuit, gemmatis donata monilibus; siue quæ Dionisij Syracusarum Regis miracula, ac viridaria nobilitauit, siue quę Mutiani Proconsulis conuiuijs, concamerato, muscosoque sinu, opacas mensas, atque vmbrosa sedilia præbuit; quæ tot fluctuantibus nemoribus, excelsum, aeriumque caput coronauerit, tot frondibus annosa brachia vestierit, tot vmbris latissimos campos protexerit, atque occupauerit, quanta Guzmana Arbor, non in Hispanijs modo, sed in vniuersa penè Europa fœlici fœcunditate sese amplificauerit, extenderit, diffuderit: Nec eius fœcunditas ex eo laudatissima fuit, quod ramo: *Vno auulso, non deficit, alter aureus, & simili frondescit virga metallo,* sed quod vno deficiente, plures suboriuntur, subolescunt, ac repullulant: & vnius mortalitas aliorum ortu reparatur; ita vt Arborem illam apud Virgilium propè Auernum, frondescentem diceres, si illa, non vnum tantum, sed aureos omnes ramos habuisset. Antiquissimam verò Familię originem, ego hìc non inquiro, cum apud Veteres Authores, nihil certi sit, nàm, & alij ad Reges referunt, alij ad externos Principes, alij ad alios. Hoc enim Præclarissimarum Familiarum, vel fatum videtur, vel laus, vt cum earum incrementa ab omnibus conspiciantur, origines, & principia lateant. Ita, & Domus Austriacæ in Germania,

qua

quà nulla post Orbem conditum, nec fuit, nec erit, Præclarior Nobilitas, à quibus initijs originem, trahat, apud non improbatæ Fidei Authores, ignotum est: Quod, & peremnibus, maximisque fluminibus commune esse dignoscimus, quorum aluei ingentium aquarum vi, & sonitu inclarescunt, fontium verò principia, & scaturigines, absconduntur, & obscuritant. Proinde Excellentissimus Medinæ Sydonię Dux, iam senex dicere solitus, quod suæ Domus ipse pes pes, ipse, caput erat. Sed iam me de huius Excellentissimæ Domus laudibus dicentem, & iam de fine cogitantem, non mediocriter perturbat, quod vbi vela contrahere, secundis, & blandientibus auris Portum intrare, & incolumitatis Arę votum exolvere, putaueram, noua Maximarum, & Nobilissimarum rerum facies, ac splendida, & fœcunda laudum materies mentis oculis sese offert, & ex mari in quo nauigo, nouus, immensusque sese, aperit Occeanus. Nàm, & Guzmanorum Heroum Pietas, sese ad memoriam reuocat, & ne silentio pręteriatur, ipsa me seueris vocibus obiurgat Oratio? Cùm enim semper apud eos potior fuerit Diuini Numinis Cultus, pro quo nullos labores, nulla pericula detrectarunt, Principem certè locum habere meruisset. Nam in Hispanijs nulla Vrbs clari nominis est, nulla obscuri, nullum oppidum, nullus pagus, in quibus huiusmodi Pietatis, quàm plurima, imò centum & mille insignia testimonia non reperiantur. Vno in loco extant à fundamentis excitata celeberrima Templa, alibi iam ruinam minantia reparata, & refecta, hìc florent Religiosissima Monasteria condita à Guzmanis, ac ditata. Illic Sanctissima Virginum Claustra, in quibus dilecto Sponso Intacta seruantur Lilia, & celeberrima Cœnobia, & recuperandæ valetudini Insignia valetudinaria, & orphanorum Domus, & subleuandis pauperum necessitatibus ingens pecuniarum legata copia, & demum Ecclesiasticarum Dignitatum innumerabilis numerus: ita vt Pietas ad alias Domos, quasi ex itinere diuertisse, in Guzmanorum verò ædibus fixam, stabilemque stationem collocasse visa sit. Sed quid ego his vulgaribus forsitan laudibus immoror? Quibus, & aliæ Familiæ gloriari iure merito possunt, si singularia, si præclarissima, si propè Diuina Guzmanorum Pietatis documenta à me referri possunt? Quæ licèt noua non sint, cùm nota omnibus sint, plurimum tamen Orationem meam exornandi, & cõfirmandi vim obtinent? Dicam igitur, quod si Guzmani, in Orbe Christiano non fuissent, Ecclesia nùnc non esset. Mentiar? Si ex veritatis pœnu, ea ad hoc argumenta non producam, quæ sine pertinacissimæ temeritatis nota, negari non possunt. Propterea vnus Tu mihi sis testis loco multorum, Beatissimè Dominicè Guzmane, D. Petri Guzmani, Nobilissima, & Sanctissima Proles. Tu huius Domus de Toral incorruptus, & sincerissimus sanguis? Tu clarissimi Fontis rivus, ne dicam, an Mare? Tu fœlicissimæ Arboris suauissimus fructus? Tu Hispaniarum Decus, Tu Ecclesiæ Fax, Tu adversus Hæreticorum, & præsertim Albigen-

gentium pertinacissimos errores primus Inquisitor? Tu Catholicæ veritatis, vbique defensor acerrimus, Tu Religionis, ac Sanctitatis penè deperditę restitutor, ac propagator? Tu breui tuæ vitæ spatio, si ad annos respicimus, largissimo, si ad merita, tot digna æternis laudibus operatus es, vt si aureis invecta quadrigis è Cœlo dilaberetur eloquentia obrui earum cumulo fateretur. Ingenua enim veritatis vox est, ac firmissimum testimonium, quod Dominicus suis Sanctissimus moribus, ac vitę asperitate cultum, ac Pietatem ab hominum Animis penè deperditum, ac deletum exsuscitauit, ac reuocauit: ad quem finem, ne cum eius vita suum inceptum interiret, Illustrissimum Ordinem instituit: hoc est Seminarium Sanctissimorum Virorum, Martyrum, Virginum, Antistitum Summorum Pontificum, qui ob honorem Diuini Cultus, ob zelum Catholicæ Religionis, cum toto Erebo, cum vitijs scelestissimorum hominum, cum sese latè diffundente Hęresi bellum susceperunt, susceptum infinitis exantlatis laboribus, vulneribus, vitæque discrimine, ac iactura, continuarunt, continuatum clarissimis Victorijs, nobilissimisque Triumphis confecerunt. Qui verò fuerit Dominici Sanctissimæ vitæ tenor, quæ austeritas, quæ disciplina, quæ assiduitas precum, quæ cum Deo allocutiones, qui labores, noctes, diesque, quę inedia, quæ ab humanis abalienatio, quæ flagella ad multum sanguinem, & languorem, supervacuum est referre? Cum Deus, Optimus, Maximus, clarissimis miraculis patefecerit, atque illustrauerit. Nam etiam nolens miracula operabatur. Vndè, & malis dœmonibus exagitatos, lymphatosque liberauit, captos pedibus Domum suam redire iussit, cœcos, ęternaque nocte caligantes illuminauit, sepulturæ demandatos, & à mortis faucibus deuoratos extorsit, reuocauit, eduxit, charissimisque Parentibus restituit. Verùm, & si hæc magna sunt maiora illa fuerunt, quod quotidie Cœlestes, Beatæque mentes eum invisebant, inseruiebant, comitabantur; quod Sanctissimus Humani Generis Redemptor sæpius assidere ægro, alloqui, sermones miscere visus est, quod Beatissima Virgo, tanto eum amore prosecuta est, vt proprijs manibus prætiosissimum illud Sanctissimi Rosarij munus illi dederit, quo apud Christianam Fidem profitentes, nihil maiori cultu, ac veneratione colitur, frequentatur, receptum est; cum Sacratissimis illis Globulis, quasi igneis glandibus fœda orci agmina posternuntur, vincuntur, profligantur, suauissimo illo Cœlestium Rosarum odore mali genij fugentur, auertantur, repellantur: illis dulcissimis precibus, quasi conceptis Sacri fœderis Verbis, & Christianus Orbis Virgini obstringatur, & Virginis Protectio Orbi Christiano oppignoretur. Demum post eius Animam in Cœlo receptam, quod singularissimę gratię tribuendum est, castissimi corporis formam immortalibus penicillis delineatam, cœlestibusque coloribus illuminatam Beatissima Redemptoris Mater, Lucia, & Catherina, Virginibus comitata, Angelorum Roseis, odoratisque facibus, æthereis,

festisque

festisqueignibus collucentibus,cunctisque suis splendidioribus Astris nocte irradiante,Soriani in Templo Fidelibus adorandam adduxit, exposuit, collocauit. O præclaram! O pulcherrimam gloriam! Sed Bone Deus, quàm longe à meo Instituto distrahor, atque abducor? Ad meum itaque argumentum proprius accedo. Iam enim crescentibus hominum flagitijs, cum Diuina Iustitia Orbem delendum decreuisset, vindicibusque flammis obruendum, iamque operi manus admoueret, Beatissima Virgo, illa Misericordiæ Fons, illa Humani Generis Reparatrix, Filium enixe rogat, animum emolliret, iustissimam iram frangeret, paulisper à rigore discederet, ac temperaret? Cumque obduratum, reluctantemque iuuenisset, Dominicum, & Franciscum ostendit, quorum laboribus, atque exhortationibus breui homines ad meliorem vitam redituros esse pollicita est. Audijt hæc Filius, animumque ad Misericordiam inflexit, trisulcaque tela, quæ in homines vibraturus erat, abiecit, excussit, extinxit. Quod si quis aliud, & firmissimum testimonium exquirat, in manibus habeo: Honorius insignium virtutum Pontifex, & cum veteribus comparandus, cum de Dominici Ordine confirmando ageretur, dubius hærebat, durioremque se præbebat; & ecce per somnium diuinitus illapsum, videt Ecclesiam Diui Ioannis Lateranensis, vt dicitur, à fundamentis ruentem, ac sese præcipitantem, & Dominicum, & Franciscum, totis Viribus illam substentantes: statimque cœlestis illa species per somnium oblata, reliquit. Vndè horrore plenus in hæc verba prorupit; Sentio Domine, quod à me vis? Iam clarè percipio, vt scilicèt, faueam Ordinibus Dominici, & Francisci, quorum opera tua Ecclesia, tuusque Cultus reparabitur. O quàm citissimè, & libenti animo parebo! Nec mora, primo manè indicto purpuratorum Patrum Concilio, quod noctu viderat, aperit, indicat, enarrat; & non solum Ordinem confirmat, sed, & amplissimis Priuilegijs, ac beneficijs exornat. Et erit fortasse quispiam, qui vt abinitio proposui, in dubitationem reuocare possit, Guzmanum Heroem non fuisse, vt ita dicam, Atlantem, Herculem, Columnam, ac verissimum, & solidissimum Labantis Ecclesię Firmamentum? Demus igitur Guzmanæ Pietati Flores, ac Lilia, reddamus immortales gratias, æternas grati animi significationes persolvamus: quæ Orbem Christo, Christum Ecclesiæ, Ecclesiam sibi fœlicissimè restituit, restitutam stabiliuit, stabilitam exornauit, atque amplificauit. Merito itaque Sanctissimè Parens Dominicè, in quacumque Cœli parte, inter Principes Religiosorum cœtuum, disciplinarumque Authores effulges, precibus omnibus oramus, & obtestamur, vt Serenissimum, & Catholicum Regem, Carolum Secundum, hoc est, omnium quos vnquam educauit Sol, suauissimum, ac purpurantem Florem, nostris votis, ac necessitatibus nimis tenerum, & lactescentem, bona, prosperaque valetudine firmes, ac serves incolumem. Illam mentē luminibus Diuinitus immissis Illustres, Candidū, Sincerumque

pectus veræ Sapientię Præceptis imbuas,& informes; teneros gressus ad verę Pietatis iter dirigas, Regios Spiritus dignos se, dignos Austriaco sanguine, & Pietate infundas, & instilles, & Carolum Quintum, Summum, & Faustissimum Imperatorem, quem refert nomine exprimat moribus, æquet fœlicitate, virtutibus imitetur. Mox Mariam Annam, Austriacam, omnibus dotibus ornatissimam Reginam, tot Regnorum Curis grauatam subleues, recrees, confirmes, onerique Parem reddas. Excellentissimis Gubernatoribus ea Consilia insinues, quæ ad fœlicitatem, tranquillitatemque Monarchiæ conducant: Excellentissimum D. Petrum Nugnez, Guzmanum Præsidem, tuum consanguineum, tuarumque virtutum, in nō mediocri, in partę imitatorem, fœlicem reddas, & post feros annos, iam gloria saturatum ad te reuoces: demum fugatis armorum nubibus, ac tempestatibus serenum, tranquillumque illustra hoc Cœlum, quod tuos primos vagitus excepit, hunc aerem, quem primum spirasti, atque hausisti, hoc solum, quod teneris vestigijs pressisti, hos Ciues, quos coluisti, hanc Nobilitatem, quam exornasti, hos Reges, quos adorasti. Hoc Te passis crinibus, lachrymisque exundantibus tua Parens petit Hispania; hoc Hispani, hoc tuo cultui deditissimi omnes. Quod si id efficies, cognoscet Orbis, quod Hispanijs, non minus fuisti ornamenti, & decoris in terris, quàm sis Præsidij, & Defensionis in Cœlis. Sed iam cum satis dixisse me existimem, reliquum est, vt mea ad te Excellentissimè Præses convertatur Oratio. Et primum nomine omnium maximas Deo gratias ago, quod te in Solium huius amplissimę Dignitatis posuit, quo dignissimus eras. Mox intimis præcordiorum visceribus Deum, præcor, vt Nestoreos impleas annos, vt bona, secundaque vtaris valetudine, vt tua proles, non minus sit tuarum facultatum hæres, quàm absolutissima tuarum virtutum, ac fœlicitatis imago. Vt Excellentissima D. MARIA, non minus optimis, dotibus, lectissima vxor, quàm eximijs virtutibus Præclarissima Heroina peremni amore te diutissimè leuet, & associet. Vt prospera tibi cuncta eueniant, supra expectationem, supra votum; eaque perficias, quę à te boni omnes expectant, ita vt insignes prosperis rebus Tuæ Dignitatis annos notemus, & te inter Clarissimos, Sanctissimosque Hispanæ Monarchię moderatores annumeremus. Mox te rogo, atque obsecro, vt audaciæ meæ ignoscas, cum onus meis Viribus impar suscipere ausus sim, & iniussus de tuis laudibus dicere, quas melius fuisset, submisso silentio reuereri. Verùm huic culpę, non iniustam excusationem dabo, primo, quod miseris nullus est pudor, cum enim omnia perdidissent, & nihil desperant, & metuunt nihil: inter quos merito ego annumerari possum. Cum Patriam, Parentesque à quibus per sex annos voluntarius exul aberro, per tot longinqua terrarum spatia ab oculis imò ab ipsa memoria fugientes, perdidissem: cum tenuè Patrimonium, multorumque annorum laborem, non modo comminuissem, sed penitùs exhausissem, atque

absumpsissem, cum valetudinem ingrauescentibus, ac pertinacibus malis irreparabiliter afflixissem, quam nùnc deperditam, & meis studijs inutilem ingemo; dumque alij, qui vix Iurisprudentiam, bonasque litteras degustarunt in Rosis dormiunt, diuitijs affluunt, Rempublicam moderantur, beatissimè viuunt ego, exul sine exilio, ęger, inops, studiorumque laboribus attritus, ac labefactatus, & consumptus, ipso infortunio, infortunatior; spinosam, & ærumnosissimam vitam ago, meo funeri malè superstes, ac parentans; cum demum existimationem imminuissem; nam Fortuna, cum me miserum fecisset, vanum etiam, mendacemque improba fingere contendit, & vltimæ impotentis suæ superbiæ sarcina, me grauare, atque obruere molitur; cum quæ miseri perferunt, meruisse creduntur. Alterum caput defensionis est, quod spes miserorum effrænes impetus habent, clamatores, molestos, sibi ipsis blandientes: ego enim vbi te renuntiatum Castellę Præsidem, in omnium lætitia audiui, vbi in te Pietatis, Humanitatis, virtutumque omnium Aram erectam cunctorum testimonio accepi, statim infirmos Spiritus collegi, atque à doloribus meis breuibus inducijs impetratis, è lecto, in quo iacebam, ad tuos pedes aduolaui, & inter gratulantium turbas, te vidi, te cognoui, tacitusque, te maiorem homine adoraui, & interim nescio, quæ vltro, erumpentis, lætitiæ, Scintillæ prosiluere.

Quod si euentus probabit, si à te Præses Excellentissimè impetrabo, nullo alio argumento: quam quod ego miser, tu fœlix: ego Terræ filius, tu Regius sanguis: ego Fortunæ illudentis exemplar, tu Orbis moderator, & in eo fastigio positus vndè hominibus fœlicia fata dispensas; per Deum Immortalem obtestor, quod æternam tanti beneficij recordationem servabo, tibi sacrificabo ostiam laudis, & quę homini post Deum deberi possunt, tibi debere, me profitebor: & si incolumis ad meos redire contigerit, Patrium, Insignemque Poetarum carminibus Pelorum, Æternos Phari ignes, Solis armenta in amœno littore depascentia, Syrenas, inter coralijs purpurãtes vndas, musice, suauissimeque decantantes, Scyllam, Caribdymque, flumina Fontes, Sylvas, & si quid aliud celebre est, clarissimum tuum nomen, Regiam Magnitudinem, Sapientiam, supraque hominem Prudentiam ęternum resonare docebo. Viuas.

LAVS DEO.